



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An priùs discutienda sit quæstio consanguinitatis, quàm super
Mattimonio pronuntietur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

non sit, qui per quemlibet à Iudice deputatum tanquam merum executorem, in loco etiam non publico fieri potest, opposita tamen sententia probabilior & juri conformior est, neque enim testes die tali festo ad respondendum à Iudice cogi possunt, ergo depositio eorum non est juridica, & consequenter non est valida.

Tertiò nulla est in die Festo non tantum prolatio sententiæ judicialis, sed hujus etiam executio, juxta *L. ult. Cod. h. e.* cum sine strepitu judiciali fieri non pos-

sit; & ideo etiam reus die Festo capi, aut incarcerari non potest, sive hoc fiat pro debito civili, sive pro crimine, nisi periculum esset in mora; & quamvis jura Civilia plus hac in re admittant, servari tamen debet jus Canonicum, quod hæc talia ordinariè prohibet.

Quartò denique appellare quidem potest aliquis die etiam Festo, non tamen appellationem proficere, eò quòd appellatio non indigeat tanto strepitu, quanto indiget appellationis prosecutio, quamvis & illud tutius fiat die non Festo.

TITVLVS X.

DE ORDINE COGNITIONUM.

SI plures quæstiones in idem iudicium convenient, & deducantur, de qua prius cognoscendum sit, potissimum hæc dubitatur, & hinc est.

§. I.

An prius discutienda sit quæstio consanguinitatis, quam super Matrimonio pronuntietur?

EX c. *Intelleximus 1. h. e.* decidendum hoc est, ubi mulier in Maritum petiit aliquem, eò quòd cum eo contraxisset, & super hoc testes produxit; vir tamen hoc negavit consanguineum illius esse se in gradu prohibito probans; quæ viri exceptio, quam quæstionem incidentem dicunt, prius dijudicanda à Pontifice dicitur quam causa principalis Matrimonii. Ex qua Pontificis decisione interunt communiter pretemporas ex-

ceptiones, quæ justitiam causæ principalis concernunt, per quas actio omnino excluditur ipso jure, seu potius nunquam nata ostenditur, prius dijudicandas, quam de causa principali cognoscatur, cum illa probata clarum sit, nullum jus competere in causa principali actori, & consequenter etiam hac exceptione probata, super causa principali indirectè saltem cognitâ Iudex pronuntiare potest, & debet. Si verò apposita exceptio non tam justitiam causæ perimat, quam processum ordinarium iudicii impediatur, qualis est exceptio litis finitæ, rei transactæ &c. quales exceptiones emergentes dicunt, non tantum prius cognosci debet talis exceptio, quam causa principalis tractetur, sed prius etiam super ea pronuntiarì debet; ut appareat, utrum procedi ulterius debeat.

M m 2

§. II.